Q. D. B. V.

STEPHANVS RAZIN COSACVS PERDVELLIS,

Publicae diſqviſitioni exhibitus

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

RESPONDENTE

IOANNE IVSTO MARTIO,

Mulhuſa-Thuringo,

D. XXIX. Qvintil. clↄ Iↄc LXXIV.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XLV.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

clↄ Iↄc XCIIX.

I.

SExtus annus eſt, ex qvo in Ruſſiam commeavi, et vidi, qvae alii tantum fama acceperunt, et motuum, qvos tota Europa mirata eſt, ſpectator ipſe fui, ac ut pleraqve acta fuerint, praeſens obſervavi. Tum auctor tumultuum Stephanus Razinus venit in conſpectum meum, qvi audacia atqve immanitate ſua effecit, ut ſeditionis, qvae Moſcoviam tunc non nodo perturbavit, ſed etiam in extremum diſcrimen adduxit, nitia, curſum atqve exitum tradere cogitarem, et ſive meis il-a ipſa oculis aſpexi, ſive ex propinqvo haud falſis indiciis ac-epi, in commentarios referrem.

2. Qvod prius qvam expediam, paucis docebo, qvod vetus Moſcoviae ingenium, qvae facies, qvod nomen fuerit, qvibus tem vicibus creverit, qvas provincias acqviſiverit, et qvomodo e a Tataris in libertatem vindicaverit, ac in tanta finium am-litudine imperium, nimia alioqvi mole facile ruiturum, ſer-averit.

3. Principio totus ille tractus Scythia appellatus eſt, inde hoxolanorum nomen increbuit, ac diu multumqve in uſu ac rmone hominum fuit, usqve dum Ruſſi et Moſchovitae di-erentur hae gentes, et fractis Tatarorum viribus, ampliſſimas uropae Aſiaeqve provincias obtinerent.

a *Ex Strabone Geograph. lib. 7. et lib. 2. collat. intelligimus, partem ytharum fuiſſe, et habitaſſe trans Boryſthenem. Plinius H. N. lib. IV. p. 12. iuxta Alanos, qvi Lithuani ſunt, collocat, et Rhoxalanos ſcribit,*

paulo aliter, atqve Strabo, qvi Ροξολάνȣς extulit. Et huic loco inſerendum eſt, qvod Iornandes, cum de rebus Geticis traderet, in deſcribenda Scythia luculentam operam collocaverit, Boryſthenem vero Danaſtrum dixerit, p. 84. Nec de Moſchorum vocabulo dubitamus, eſſe antiqviſſimum, qvanqvam et Strabo eo deſignari Aſiae populos, ac regioni Moſchicae partim Iberos (Ponto finitimos, non Iberi fl. accolas) partim Armenios attribuit, lib. 11. qvem ſeqvitur Pomponius Mela de ſitu orbis lib. 3. cap. 5. et ad ſinum maris Hyrcani, atqve adeo extra Europam poſitos refert. Hos a Meſech, ſive Moſoch, deducunt Philippus Cluverius Germ. antiq. lib. 1. cap. 4. Chron. Cario - Peucerianum lib 1. p. 23. G. Hornius hiſt. Imp. p. 123. Ita vero ignorari non poteſt, ut Scythiam, ſic et Moſchos qvondam ratione Aſiae atqve Europae ab ſe diſtingvendos fuiſſe. Sed cum ad medii aevi ſcriptores pervenimus, incertum, qvae cauſa fuerit, qvod Moſchorum, qvi Europam colunt, regio, qvae alias Ruſſia eſt, Graecia qvoqve cognominata fuerit, apud Adam. Bremenſem hiſt. Eccl. l. 2. cap. 12. et de ſitu Daniae p. 139. Niſi forſan, qvod Graecorum ritum teneant, et qvod ipſis commercia invicem fuerint. Henr. Bangert. ad Helmold. l. 1. p. 3. Nec pauci tamen Ruſſos diſtingvunt a Graecis, praeter ceteros Luitprandus l. 5. c. 6. Sigebertus ad A. 936. Ille ſane aqvilonares vocat, et generali notione refert qvoqve inter Normannos: conf. Luitpr. l. 1. c. 3. Ch. Beſold. hiſt. Imp. orient. p. 101. Reinecc. l. 2. ad poet. anonym. p. 21. Qvid vero cauſae fuerit, cur Ruſſi appellati fuerint, non perinde eſt certum, et fabulas narrant, qvi a Ruſſo, Principe qvodam Dalmata, arceſſunt: inter qvos eſt cum multis aliis Georg. Hornius orb. pol. part. 1. cap. 3. Sigismundus Baro ab Herberſtein, a Ruſſia, antiqvo oppido initium appellationis huius duxit, ſed haud temere iſtud probem, qvia conſtat, Ruſſorum incertos eſſe annales, et priusqvam tranſiiſſent in Europam, Rhoſſos dictos fuiſſe, Samuel Bochart Phaleg. lib. 3. cap. 13. Helmoldus in. Chron. Slav. Ruzos cognominat, Iohannes Tzetzes Graecus ſcriptor Rhos, et a primis in Aſia ſedibus Tauros extulit. Verum mihi non eſt propoſitum haec omnia complecti, qvi omnes conatus atqve ſtudia referre debeam ad hiſtoriam Razini, hic vero tantum attingere ſcriptores, qvi et in parte ſuſcepti huius operis uſui atqve ornamento eſſe posſint. Cumqve horum multi ſint, tum vero hic memorandi inprimis erunt poſt Herberſteinii Commentarios rerum Moſcoviticarum, Matthias a Michou de Sarmat. Europ. Paulus Oderbornius l. 1. hiſtor. Iohannis Baſilidis, Ioach. Vadianus in deſcript. Sarmatiae,

Iac.

Iac. Spigel. ſchol. in Aen. Sylvium p. 256. Stephan. Kakaſch itin. Perſ. pag. 38. ſeq. Iohannes Mayr ad A. 1503. Paulus Iovius de Moſcovitar. legatione, Laur. Surius comment. rer. p. 31. ſeqq edit. Colon. item ſcriptores rerum Polonicarum, Alexander Gvagvinus in deſcript. Moſcov. Reinholdus Heidenſteinius de bello Moſcovit. Antonius Poſſevinus Colon. edit. epitome genealogiae Ducis Moſcoviae, Paulus Piaſecius epiſcopus Praemislienſis, inprimis Adamus Olearius, qvi per Moſcoviam ac Tatarorum regiones iter fecit in Perſiam, et ſitum loci, et ritus moresqve gentis oculis aſpexit ſuis, Hermannus Fabronius Moſemannus hiſt. Moſcov. cap. 13. qvi qvemadmodum interpretandus ſit, et qvae ſcripſerit, iuxta cum ignariſſimis ſcivit Vincentius Placcius, qvi cum tot ex abdito eruere nomina vellet, nec de viro hoc, nec de operibus eius, praeſertim monarchia Caeſarea, et deſcriptione imperiorum, qvid leviter cognitum habuit, Syntag. pſeud. p. 205. Religionem Ruſſorum ac cetera inſtituta praeter dictos ſcriptores, Herberſteinium, Poſſevinum, Iovium, Gvagvinum, perſeqvuntur Ioannes Faber lib. de relig. Moſcovit. Martinus Cruſius Theol. Moſcov. D. Chytraeus de ſtat. Eccl. Graeciae, Adrianus Regenvolſcius in Syntagm. Eccleſ. Slavon. Aub. Miraeus de ſtat. relig. Chriſtian. Edoard. Brerevvodus ſcrutin. religion. Nec mihi in praeſentia eſt declarandum, utrum ex Metrophane Critopulo deſumenda pariter ac diiudicanda ſit formula ſacrorum Ruſſicorum. Certe autem iuxta Metrophanis confeſſionem huc pertinent publicae epiſtolae Iohannis Metropol. Ruſſ. ad Epiſc. Rom. et Ieremiae Patriarchae Conſtantinopolitani, qvarum altera anno poſt natum Chriſtum cIↄ Iↄ LXXVI. miſſa eſt ad Theologos VVirtembergicos. Nec nunc in eo argumento moramur temeritatem Leonis Allatii, viri qvamlibet alias docti, et minime in antiqvitate hoſpitis, qvam dudum caſtigatam eſſe ſcio. Sed qvi de iure ac legibus Moſcovitarum aliqvid literis conſignaverint, hactenus in ipſa Moſcovia mihi non occurrunt. Fecit autem huius operae mihi ac poſteritati ſpem Ioannes Grafvvinckel, vir ingenio promptus, et ſi incepto exitus reſpondeat, rerum Moſcoviticarum chronicon pariter et Tzarici imperii legum codicem, qvi Vloſchenie *appellatur, editurus, et qvae iucta illic libertatis ſacrorum noſtratium fundamenta fuerint, ac res actaqve Comitis VValdemari eo pertinentia enarraturus. Tantum hic de Ruſſia ſubiungimus, eam vel dici nigram, ſive minorem, vel rubram, qvae ſunt Polonicae ditionis, vel albam, ſive maiorem, qvae et Maſſagetarum, et Rhoxolanorum, ſeu Moſchorum appella-*

tur, obſervante etiam Io. Aventino l. 4. annal. Boi. p. 360. conf. Lucas de Linda deſcript. Geogr. Polon. et Moſcov. Ac de his Ruſſis qvoqve tradiderunt ſcriptores Graeci Cedrenus, Zonaras, atqve ex his etiam Thuanus ad A. 1558. F. Hieronymus Romanus republ. del mundo 3. part. a cap. 11, usqve ad 16. edit. Salamant. Gaſp. Ens theſ. polit. apoteleſm. 72. ubi tamen falſi aliqvid admiſcet, noviſſime deſcriptio Moſchoviae Elzeviriana.

4. Conſtat de vetuſtate gentis, et ſupervacuum eſt, eo plura ſcribere, ſiqvidem hinc non aliter, qvam ad praeparandos animos, ac per inſtituti occaſionem commemorare inſtitui, qvemadmodum pro imperio ac libertate dimicaverint Moſchi, et Tataros, a qvibus CCC. fere annis oppreſſi fuerant, eiecerint, ac ſe in imperium, nulla Scythis lege parendi obnoxium, aſſeruerint.

5. Primus hoc aggreſſus eſt et perfecit Ioannes III: qvi non modo Ruſſiam in plures Principes partitam in ſuam unius poteſtatem redegit, ſed etiam de Tataris, qvi has terras occupaverant, triumphavit, ac ſuperioris imperii faciem ita vertit atqve immutavit, ut nullum Tatarici dominatus veſtigium retineret. Qvibus rebus magni cognomen adeptum eſſe ferunt, et filio, cui Baſilio nomen erat, prodidiſſe imitationis exemplum, et conficiendi curſum eius laudis, ad qvam pater feliciſſime ingreſſus fuerat. Neqve Baſilio animus, nec conſilium defuit, ut qvi mox ditionis ſuae faceret Smolecenſem Principatum, et ſubacta Pleſcovia, regni fines melius tueretur, ac demum hoc qvoqve magnum et memorabile ſuſciperet, ut ab occupando Caſanenſi regno proxime abeſſet. Sunt etiam, qvi tradant, huic primum Tzaaris titulum eſſe additum, ac ad noſtra usqve tempora retentum, et factis acceſſionibus regnorum Caſanenſis atqve Aſtracanenſis, ſub Ioanne eius filio amplius adornatum. Illud enim non dubitanter affirmo, et qvia memoria dignum eſt, tradi a me oportet, Baſilium neqve occupaſſe ea regna, neqve in ſcripturam tituli redegiſſe.

b *Paulus Iovius, de Moſcovit. legat. hanc tituli formam ex curia Baſilii expreſſit.* Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia Imperator ac dominator totius Rusſiae, nec non magnus Dux Volodemariae, Moſchoviae, Novogrodiae, Pleſchoviae, Smoleniae, Iſſeriae, Iugoriae, Permniae, Vetchae, Bolgariae, etc. Dominator et magnus Princeps Novogrodiae inferioris terrae, Cernigoviae; Razaniae, Volotchiae, Rezeviae, Belchiae, Roſtoviae, Iaroslaviae, Belozeriae, Vdoriae, Obdoriae Còndiniaeqve etc. *Qvem titulum retinet Petrus Bertius, etſi regionum, a qvibus ſumptus eſt, nomina afferat non iisdem, qvibus apud Iovium extant, literis ſcripta: brev. orb. terrar. p. 56. Vt vero exarari literas recte et Geographiae convenienter oporteat, vel ex ſola Elzeviriana Moſcoviae deſcriptione colligas, ut compleri vero titulus et plene ac more et exemplo curiae noviſſimo ſcribi debeat, poſt Olearium tradere voluit Io. Frid. Popping. orb. illuſtr. lib. 2. p. 404. Nam ita auctus eſt iſte titulus, ut praeſcripto Magni Tzaris et magni Ducis nomine, poſt qvaedam verba initium tituli abſolventia Moſchorum Imperator qvoqve appelletur Tzar Caſani, et Tzar Aſtracham, Tzar Siberiae, ac demum non procul fine, Carthalinicorum et Gruſinicorum Tzarium dominus atqve dominator. Apud Goldaſtum legitur titulus multo brevior, isqve a Rudolpho II Caeſare attributus:* Serenisſimo ac potentisſimo Duci Theodoro, VVanovvitz Czaro, et Magno Duci Rusſiae, VVlodimiriae, Moſcoviae Novogradiae, *Tom. 3. conſt. Imp. ad annum 1594. Ioannes Chriſt. Becmannus eo libro, qvo multam laudem conſecutus eſt, de tit. reg. diſſ. 1. cap. 2. n. 6. putat; Ioannem Baſilidem primum fuiſſe, qvi Tzaris titulo uteretur: ſed uti non negabimus, ab eo adiectione regni Caſanenſis et Aſtracanenſis amplificatum, ita viro doctiſſimo non poteſt diſplicere, ſi nos id de Ioannis Baſilidis patre afferamus. Id vero omnibus notiſſimum eſt, Moſcovitas in ſervandis titulis eſſe pertinaciſſimos, et legatos ipſorum affirmare, capite luendum fore, ſiqvando in ſcriptura tituli per errorem laberentur, qvod anno ſuperiori LXXIII. teſtimonio comprobavit Paulus Meneſius a Bitſodels, Baro Scotus, cum oratoris munere perfungeretur, ac* Sereniſſimi Potentisſimiqve Tzaris omnium Ruthenorum autocratoris ablegatum ſe ad Imperatorem Romanum, Electores Saxonicum et Brandenburgicum, ut et Rempublicam Venetam Pontificemqve Romanum, *literis eo datis doceret. Poteſtqve eſſe documento Nicolaus Heinſius, vir ingenio et prudentia ſingulari, qvi qvum anno cIↃ IↃC LXX Moſchuae Ruthenorum*

norum

norum legati obiret officium, expertus eſt, qvam difficulter inflecti Tzaris animus atqve mitigari poſſet, cum de accipiendo eo ac in aulam deducendo conſultaretur: qvin et hoc anno conſtitit, nec a veſtigio veteris ritus diſcedere, neqve pati voluiſſe, ut vel leviter aliqvid ex antiqvo more mutaretur. Dum vero haec perſeqvimur, haud praetermittere debemus, Tzaris titulum reipſa cum nomine regiae dignitatis paria facere, tamen, ut hodieqve opinio eſt apud Moſchos, plus in Tzaris, qvam in regis titulo ineſt dignitatis, qvod praeclare expoſuit Baro Herberſteinius. Atqve eo ſpectas, qvod ſcriptor Mercurii Gallici Tom. 3. affirmavit, Michaelem Fedro VVitzium per oratorem ſuum pronunciandum curaviſſe ad Matthiam, ſe ex antiqva Caeſarum familia prognatum eſſe. Praeterqvam autem qvod id falſum eſt, dubito de huius commemorationis fide, et alias exploratum habeo, multa falſa in Mercurium Gallicum irrepſiſſe, ac Gab. Bartholomaeum eius ſcriptorem qvoqve mendacii non praeter meritum coarguiſſe: lib. 10. hiſtor. Galliae p. 474. Forſan et huius, ſi qvid tale accidiſſet, mentionem facturus fuiſſet Paulus Piaſecius, qvi uti ad res alias, ita inprimis ad Moſcoviticas digreditur, et alibi narrat, Theodorum magnum Moſcoviae Ducem de impertiendo regis titulo Pontificem Romanum ſolicitaſſe: chron. p. 112. Qvanqvam et cauſas adducere poſſimus, propter qvas a Piaſecio nunc qvoqve diſcedamus, conſtatqve ex actis illorum temporum, Theodorum non fuiſſe ea voluntate erga Pontificem, ut ab eo regium peteret titulum, qvod neſcire non poteſt, qvi vel curſim legit Herberſteinii commentarios rerum Moſcoviticarum, in qvantum reſpondent illis temporibus, qvibus iſta contigiſſe memorantur. Neqve ipſe Paulus Iovius ſibi conſtat, dum refert, Clementem VII. Pontificem obtuliſſe ultro Baſilio regiam dignitatem, ſi adiungere ſe ad Romanae Eccleſiae ſocietatem vellet. Mox autem ſubiungit, cupiviſſe Baſilium conceſſione Pontificis regium titulum promereri: nec multo poſt dubitans ſcribit, famam tuliſſe, qvod a Caeſare Maximiliano titulum eiusmodi poſtulaſſet: de legat. Moſchovit. edit. Baſil.

6. Nihilo ſegnior Patre fuit Ioannes cognomento Baſilides, neqve ullam augendi imperii occaſionem praetermiſit, ſed qvia animo a lenitate alienori erat, et hanc unam firmando dominatui idoneam viam putabat, inter tyrannos numeratus eſt. Neqve de eo ambigitur hactenus, qvod ſaepe multumqve ab officio boni Principis receſſerit, nec pauca praeter

ius faſqve admiſerit, illud tamen, nec temere, affirmandum eſt, pleraqve de eo magis odio, qvam conſcientia factorum prodita fuiſſe, *a.* nec modo multas et longinqvas expeditiones ſuſcepiſſe, ſed etiam plurimas victorias reportantem, Caſanenſes ac Aſtrachanenſes in ſua verba adegiſſe, hisqve rebus et magnitudini ſuae animum, et fortunae potentiam aeqvaviſſe.

c. *Iacob. Aug. Thuanus ad A. 1584. ita de Paulo Oderbornio indicat, ut nullo negotio intelligatur, eum exaggeraſſe Baſilidis facta, ut ſignificantius tyrannum repraeſentaret. Eandem in ſuſpicionem vocat Alexandrum Gvagvinum, atqve ex Thuano repetit deſcriptio Moſcoviae Elzeviriana p. 114. ac in ſeqventibus usqve eo ipſius res actaqve aeſtimat, ut ab ipſo regibus, qvi imperia ampliora efficere ſtudent, petendum eſſe exemplum cenſeat, p. 150. conf. p. 180. Eſt vero mihi codex manuſcriptus, haud dubie non viſus Thuano, ſed qvi paria cum Oderbornio tradit, eumqve ſeqvitur Horſey Anglus, ab Eliſabetha ad Ioannem Baſilidem miſſus, cum qvo coniungi poteſt Belga L. van der Bos, qvi in deſcribenda eius ſaevitia conveniunt, nec abludit Olearius, ne Gvagvino appareret diſſimilis. Vt tanto minus mirandum ſit, cur his ſubſcripſerit Eraſmus Franciſci in Theatro actorum lugubrium XVI. Et tamen nil veretur Thuanus idem, qvod antea ſcripſerat, repetita vice alibi mandare literis, et qvod ad hoc inſtitutum, ac refellendam vulgi opinionem ſpectat, talia, de eo referre, qvae et magnum et fortem animum demonſtrant, ad A. 1606. Omnino autem Thuanus, qvi cum doctrinae ſtudio, tum reipublicae tractandae uſu ſummam eſt conſecutus laudem, ignorare non potuit, multos in Baſilidem ſcripſiſſe aſperius, ſive errore deceptos, ſive odio impulſos, ſive qvod neſcirent, plura exigi ad noſcendum tyrannum, qvam aliqvot tyrannica facta.*

7. Verumenimvero rebus humanis erepto Ioanne Baſilide, magna converſio facta eſt, nec fortuna Theodori neqve auctoritas viguit, tum vero orbitas, ut fieri alias ſolet, ſpreta eſt. Eo A. CIↃ IↃLXXXXVIII. ſine liberis mortuo, pro Baſilidis filio qvidam ſe geſſit Gregorius Strepius, et Demetrium Theodori iuniorem fratrem, qvi iam ante per inſidias Borilii perierat, lineamentorum ſimilitudine mentitus, peſſimam hanc ad regnum viam affectavit. Sed non impune tulit audaciam Strepius,

pius, nec modo imperium, ſed etiam vitam amiſit: poſtqve haec cadaver ſaevitiae ſubiectum eſt, et ducto per genitalia fune raptum, ac omnibus modis foedatum. Horret imagine crudelis exempli animus, eo magis, qvod ſint, qvi exiſtiment, Strepium, de qvo dixi, verum fuiſſe Demetrium, et vita functo Theodoro Baſilidis filio, ſorte naſcendi Moſchis imperare debuiſſe, nunc vero contra ius fasqve deturbatum, et per dedecus atqve ignominiam occiſum fuiſſe. Qvanqvam autem id multi, tamen non ſine dubitatione tradunt, alios autem vel ſolus Patrus Peterſonus *d.* Vpſalienſis adduxit, ut credant, Strepium fuiſſe impoſtorem, et ſimulaſſe ſe pro Demetrio, atqve adeo meruiſſe, ut dignitate, qvae ad eius familiam non pertinebat, excideret, ac perduellionis infamia notaretur.

d. *Huius viri relatio viſa et lecta eſt Thuano, qvi eius meminit ad A. 1606. Poſt Thuanum Piaſecius hanc operam navavit, non tamen certiora proferre potuit, ac Thuanus, qvi praedictam relationem commemoravit potius, qvam aſſenſu ſuo excepit. Piaſecius de origine Demetrii, verane, an commentitia ſit, parum conſtare ſcribit, ad A. 1604. cum tamen ille et explorare haec melius, et exeqvi rectiſſime potuiſſet, ſi certi aliqvid invenire, et poſteritati tradere potuiſſet. Sed id qvoqve in ambiguo reliqvit Michael Gaſp. Lundorpius contin. Sleidan. lib. 3. ad A. 1606. Ego qvantum perſpicere poſſe mihi videor, exiſtimo ſaltem, non ſatis recte ac ſincere Ruſſos in hac cauſa officio ſuo functos eſſe. Nimis vero ſimplex credulusqve fuit ſcriptor anonymus belli Polono-Moſchici, qvi, qvod vulgo de impoſtore Demetrio proditum eſt, ita refert, ut eum ne dubitaſſe qvidem appareat.*

8. Per id tempus res Moſchorum afflictiſſimae erant: nam et veterum malorum recordatio dolorem renovabat, et praeſentibus remedium afferri non poterat. Vix credibile dictu eſt, tam tetra facinora ac fraudes admiſiſſe Boriſium, et magnorum Ducum longo tempore fundatam domum evertiſſe, ſublatoqve Theodoro, cuius opinio maleficii de ipſo eſt, ac oppreſſo, dubium eius, an Baſilii Suiskii ſcelere, Demetrio, tot et tantis motibus alimentum dediſſe. Poſtea enim qvam caedes

caedes Demetrii, qvae hortatu Suiskii patrata eſt, vacuum locum fecerat, Suiskius excitatus eſt ad ſpem capeſſendi Moſchorum imperii, qvod retinuit usqve ad MDCX. annum. Cumqve hunc proceres loco dimoviſſent, Vladislaum Sigismundi filium e Polonia acciverunt, cui vix ſacramento adacti erant, qvum apparebat, infidam hanc pacem, ac lubricum obſeqvium fuiſſe, et neqve naturam, nec conſvetudinem, qvae natura potentior creditur, Moſchos regimini ac moribus Polonicis aſſvefacere potuiſſe: *e.* ſive enim Vladislai, qvem elegerant, abſentia ipſis ſuſpecta erat, ſive dominatum, qvi animis occurrebat, verebantur, certe peregrinum imperium faſtidiebant, et iniuria ſe affectos qverebantur. Qvocirca tandem a Vladislao defecerunt, et inclinatis in Michaelem Federovvitzium animis, hunc optarunt pariter, et anno cIↄ Iↄc XII. communibus ſuffragiis ſucceſſorem nominarunt, virum materno genere a Baſilide oriundum, et qvi tunc plurimum poterat, ac merebatur, ut ſervator ſuae gentis diceretur. Nam et praeſenti animo acceſſit ad rempublicam, et auctoritate atqve conſilio XXIIX. annis tenuit, et multis laboribus defenſam, factionibusqve ſopitis *f.* inſtauratam filio Alexio Michalovvitzio reliqvit.

e. *Format ſitus ingenia, et facit, ut contrariis ſtudiis ducantur gentes, nec qvicqvam tam ſit carum his, qvod illis non miſerum atqve acerbum videatur. Id ſi perſpicere libet, uti poſſumus opera Reinholdi Heidenſteinii, qvi lib. 3. hiſt. rer. Polon. p. 125. ita deſcribit Moſchos, ut qvam facilime intelligatur, eorum ingenia et mores plurimum abhorrere a Polonicis, et plurima utrisqve adverſa eſſe, qvae noviſſime apud animum ſuum propoſuit Andreas Oiſovvskius, cum tractaret controverſiam de* cenſura candidatorum ſceptri Polonici, *vir inter populares ſuos apprime eruditus, et rerum civilium ſcientiſſimus, ac dicto libello non mediocrem laudem, imo palmam inter omnes qvi in iſtius argumenti curam incubuerunt, adeptus. conf. auctor Lineamentor. Sarmaticor. §. 25. Qvod cum ſapientes aeſtimant, paene diffidunt foederi, qvod proxime inter Moſchos Polo-*

noſqve coaluit, praeſertim ſi iuvat reminiſci ſuperiorum actorum, qvanqvam qvae ratio eius ineundi, eadem et conſervandi exiſtimatur, hoc magis, qvod Michalovvitzius non eſt dominandi nunc cupidus, et eius atqve Polonorum verſus Turciam eſt aeqvalis metus, niſi tamen, ſublato Turcarum metu, contingat, Podoliam eſſe novae materiam litis, qvod ſane qvin fieri posſit, non negaverim, nec mirabor, ſi fieret, qvandoqvidem purpurati, qvos Boiaros dicimus, Tzaris ſui, qvi hodie rerum potitur, ingenio et indulgentia facile abuti ad qvaeſtum poſſunt: nam is, qvod fateri non erubeſco, ſacris, qvam negotiis civilibus intentior, conſilia, qvae Boiari conducere arbitrantur, non aliena ducit a dignitate ſua, nec impedit facile. Sed haec alio pertinent: ego enim non futura, ſed transacta expendere deſtinavi.

f. *Iam eo loco reſpublica Moſchorum erat, ut brevi occideret, niſi opem tuliſſet Fedrovvitzius, qvi bellorum civilium incendia extinxit, et cuiusdam, qvi altera vice ſe pro Demetrio gerebat, revera autem et citra omnem dubitationem impoſtor erat, ac novas turbas concitabat, recens conflatam potentiam oppresſit, Paulus Piaſecius ad A. 1612. Poſtea ſe munivit contra externam vim, et qvamvis eum ſaepe fortuna contra Polonos deſtitueret, tamen ratio ſalutare hoc conſilium ſubminiſtravit, ut anno 1634. pacem cum Polonis faceret, et Vladislaus omni per ſuperiorem electionem qvaeſito iuri renunciaret, tituloqve Magni Ducis Moſcoviae abſtineret, idem ad d. A. ſcriptor belli Moſcho-Polon. p. 41.*

9. Cum his et talibus caſibus defuncti eſſent Moſchi, ac ex omnium ſententia res confecta videretur, ſucceſſio Alexii Michalovvitzii anno cIↃ IↃc XLV. magnum apud omnes pondus habuit, creditumqve eſt, eum et fortunae ampliſſimae capacem, et fortiſſimis imperatoribus aeqvalem fore. Iamqve nil ad ſummi faſtigii gloriam deerat, qvum ab ſuis ſolicitatus ad capeſſendum bellum, fecit, ut magnus ex eo toti Moſcoviae timor impenderet. Primo Polonos, nec inultus, laceſſebat, tum impetum in Svedos effundebat, ſed poſtea magno ſuo malo expertus eſt, qvam cum ſtrenuo ac ad pugnandum obſtinato populo res fuiſſet. Verumenimvero cum tandem hoſtes aeqva ſatisfactione placaviſſet, domi periculum adiit, nec unqvam maior calamitas fuit, qvam cum auctore Stephano

Razi-

Razino turbae motusqve exiſterent: *g.* nam iis non modo Moſcovia metu perculſa, ſed etiam tota Europa expectatione futuri eventus aliqvandiu ſuſpenſa fuit.

g. *Non hic morabitur ordinem noſtrum tumultus, qvi anno 1648. ortus, et exitio aulicorum Pleſſeovv et Tychonovvitz, terminatus eſt. Mirum tamen videri poteſt, qvid ſit, qvod, cum gens iſta praeter ingenitam erga Tzares ſuos venerationem, ſervituti aſſveta ſit, tam ſubito ad ſeditionem concitandam impelli posſit, niſi cognitum eſſet, ingenia eius populi eſſe mutabilia, et qvanqvam fraeno dominatus retinentur, tamen cum nimis iniuriis affecta, ad deſperationem adiguntur,* in deſperatione fieri ſaeviora, *qvod ſcite tradit, et profundi ingenii argumento perſeqvitur Gabriel Zianus in Heracleide, carmine Italico erudito, et pertinente ad civilem uſum.*

10. Proximum eſt, ut, a qvibus initiis omnia profecta ſint, exponam, et qva ex cauſa, et qvibus viribus tantam rebellium multitudinem coegerit Ratzinus, tradam. Accepi, gente Coſacum *h.* fuiſſe, Moſchis neqve odio, nec iniuria cognitum, ſed fidum factorumqve conſcientia innocentem, qvoad Dolgoruka imperium militare mitigabat. Simul atqve autem hic ſeverius ſtatuebat in Coſacos, et miſſionem petentes contra voluntatem retinere ſtudebat, invito eo evaſerunt: qvod cum indigne ferret Dolgoruka, magno numero milites miſit, qvi dilapſos revocarent: ipſe exempli cauſa de praefecto, qvi Ratzini frater erat, ſupplicium ſumit. Id vero crudelitatem interpretatus eſt Ratzinus, atqve ab eo tempore mutavit animum et priſtinam fidem, nilqve prius in votis habuit, qvam ut ulciſcendo demeret ſibi ignominiam, et longe plurimos impelleret ad cogitati ſceleris ſocietatem.

h. *Coſaci unde nomen habeant, ſcrutari ſupervacuum eſt, qvia P. Piaſecius, cuius ſtudium in hac parte aſpernari non poſſumus, expoſuit, ac me fere in eam ſententiam adduxit, ut credam, illo* capram *denotari forſan, qvod mobilitate ſua et ſcandendi niſu haec animalia imitentur, Chron. p. 45. Reinholdus Heidenſtein exiſtimat, hoc vocabulo ſignificari latronem, et ab*

origine Perſica, ſive Turcica repetit, rer. Polon. hiſt lib. XI. Ego ſatis habeo annotaſſe, a me intelligi Coſacos circa Tanaim habitantes, qvi noſtra loqvendi conſvetudine Donici appellantur, a fluvio, prope qvem colunt, nomen ſortiti. Genus hominum eſt inſtabile, et natura ſua qvietis impatiens, ac praedandi cupidum: Magno Ruſſorum imperatori non coacti, ſed ſponte parent, multis inſuper immunitatibus donati, praefectum habent, qvem ipſi eligunt, mutati nuper, qvum duce Ratzino rebellandi facultas data eſſet, poſtea vero, qvam iſte victus eſt, ad obſeqvium revocati. Qvod de Coſacis, qvi in ditione regni Polonici hactenus fuerunt, perinde optamus, ut priſtina civium officia, et conſtantem parendi voluntatem erga Polonos rurſus declarent, et miſſo Turcarum clientelari dominatu in amicitiam redeant atqve imperium Polonicae gentis. Nam qvod Piaſecius tradit Coſacos, qvatenus ſub iure et iurisdictione Polonorum conſideratos, proprio et ſeparato reipublicae ſtatu non contineri, res per ſe ipſa loqvitur, id hodieqve ad Donicos, et Moſchorum imperio obnoxios revera pertinere, et qvod adeo de his cognitum eſt, perinde optandum eſſe de iis, qvi hactenus in regni Polonici ditione fuerunt. Poſtqvam enim auſpicio regis Stephani ad belli artes eruditi, ſtipendia mereri coeperunt, ius ſane et honor et dignitas Polonorum poſtulant, ut ipſos a ſe atqve a republica abalienatos, et A. 1648. ad ſeditionem concitatos ad officium reducant, et a motu inde Chmielnicii turbatas res corrigant, eo magis, qvod intelligant, nil Turcis neqve eſſe iucundius, neqve carius, qvam ut clientelare eius gentis imperium, qvod auctore Doroſzenko conſecutos ſe aiunt, retineant, et Polonis de Provincia, qvae ipſis Vkraina dicitur, decedere compulſis, potentiae ſedem non Polonis magis, qvam Moſchis et toti orbi Chriſtiano formidabilem ibi conſtituant. Sed vero de Coſacicis turbis, in qvantum Poloniam attinent, vid. Ioachim. Paſtorius in bell. Scytho Coſac. item commentarius rerum per tempus rebell. Ruſſicae geſtarum anno 1653. Regiomonti editus: Adolph. Brachelius hiſt. lib. 7. ad A. 1648. noviſſime ſcriptor Coſacicae rebellion. Germanice evulgatus. Donicorum, qvi non modo aeqvo et pari iure cum Moſchis vivunt, ſed etiam multis, ut dixi, privilegiis aucti ſunt, motus anno 1665. occaſionem, anno autem 1667. initium habuit, de qvo proxime aliqvid Germanice emiſſum eſt, et ſcio de eo commemoratum eſſe in Theatro atqve diario Europaeo.

11. Nec fallebat ea expectatio Ratzinum, virum obſcuro qvidem loco natum, ſed calliditate egregium, et ad qvodvis facinus

cinus audacem, praeterea crudelem, et vel ſolo aſpectu trucem, corpore item firmo, ac armorum uſu atqve aetate robuſtum valentemqve, *i.* ut Coſaci dignum iudicarent, cui praefecturam belli committerent, rati, hunc eius cauſae, qvae ius atqve libertatem ſuam complecteretur, et ad privatum Ratzini qvoqve luctum pertineret, obſtinatum vindicem futurum. Non recuſabat iſte, et conſilio pariter ad vindictam et ſpem dominatus utebatur: per idem tempus enim, qvo ſummam oſtendebat voluntatem ulciſcendi Dolgorukam, hoc miſerum qvoqve ac acerbum uſu veniebat Moſchis, qvod Coſaci privilegio de retinendis transfugis obtentui ſumpto, omnibus facinoroſis perditisqve hominibus, de qvorum infamia iudicium apud Ruſſos inſtitutum fuerat, ad ſe veniendi et impune manendi poteſtatem facerent. Qvibus rebus tantus flagitioſorum hominum concurſus eſt factus, ut non ſponte ad Ratzinum profecti, ſed ſpe impunitatis ad eum accerſiti viderentur, et qvanto qvisqve eſſet improbior, tanto promptius ſe adiungeret ad ſeditioſum Ducem.

i. *Robuſtum id genus eſſe hominum, multa confirmant, et facit apertiſſimum hoc Ratzini exemplum qvanqvam iis non concedunt Valachi, ut documento eſt Ioannes Podkova, vir obſcurus ortu ſed iis viribus atqve corporis firmitate praeditus, ut ferreas eqvorum ſoleas fregiſſe tradat Reinh. Heidenſtein rer. Pol. lib. 2. p. 119. Id Turcis indicium eſt generoſae ſtirpis, venitqve hic in mentem recordari Friderici III. ſeptemviri Saxonici, qvi cum Palaeſtinam obiiſſet, ex eius manuum ſoliditate iudicavit Sultanus, illuſtri genere natum fuiſſe, apud El. Reuſner. in ſtemmate VVitikind. p. 43. Eſt qvoqve id ſaepe ſignum virorum fortium et plenorum animi, ut de Philippo magnanimo Haſſiae Comite provinciali perſpectum habeo: de cuius robore et firmitate laterum, qvam in Haynenſi Coenobio declaravit, traditur in chron. Haſſico. Apud barbaros nota eſt audaciae atqve crudelitatis, qvae in Ratzino cum impietate coniuncta fuit, ut partim contemptu ſacrorum teſtatum fecit, religionem vel Mahumetanam, vel nullam profeſſus.*

12. Dum

12. Dum haec fiebant, et ſine iure, ſine legibus, ſine iudiciis, ac ſine fide apud Coſacos omnia agebantur, nondum conqvievit Ratzinus, homo ſive natura, ſive motu ſuae gentis ferox, et animos iam tum licentia deteriores factos multo vehementius commovit, cum iniuriam ſupremo Moſchorum ſacerdoti illatam exaggeraret, non qvod ſentiret recte de ſacris, et pietatis exemplum daret, ſed qvo ſpecioſum deſtinatis titulum praeferret, et in vindicanda republica, qvaſi iam afflicta et paene oppreſſa, omne ſuum ſtudium poſitum eſſe oſtenderet. Sub id tempus erat ſummo inter ſacerdotes loco Nikon, *k.* auctoritate et prudentia, qvantam Moſchorum ingenia capiunt, egregius, atqve ad omnia, qvae agenda erant, animo et conſilio paratus, ac magno Duci ita carus, ut nemo facile exiſtimaret, eum in diſcrimen dignitatis venturum eſſe: ſed qvum in id tempus incidiſſet, qvo contra criminationes cauto eſſe non licebat, nomen eius de flagitiis qvibusdam delatum eſt, atqve his rebus factum, ut mox de dignitatis fortunarumqve amisſione periclitaretur, et tandem loco moveretur. Illud vero Ratzino dominatum molienti commodum evenit, qvod ea iudicii ſeveritate magnus dux animos plebis a ſe avertiſſet, at minime fidelis conſilii auctores ſecutus fuiſſet. Nam qvi rem eo perduxerant, ut commutaretur fortuna Patriarchae, omnes inimici eius fuerant, et nil prius in votis habuerant, qvam ut dignitate ſua privaretur, cum prorſus ferre non poſſent, ut eius apud imperatorem praecipua ac ſumma auctoritas eſſet. Propterea ne qvid iniqve feciſſe viderentur, omnem rem expoſuerunt Antiocheno et Alexandrino Patriarchis; atqve eos in cognoſcenda hac cauſa ſive ſocios, ſive adiutores eſſe voluerunt. Venerunt acciti Moſcuam, et mercede conducti ac beneficiis ornati ſententiam dixerunt, et qvanqvam dubitare poſſis, an ſenſerint, qvod ſtatuerunt, tamen cognitum eſt, valuiſſe potentiam inimicorum, nec profeciſſe conſilio, neqve rationibus Nizonem.

k. *Iſte*

k *Iſte Patriarcha non modo habebat ſanctimoniae opinionem, ſed etiam operam atqve auctoritatem ſuam ad amplificationem boni publici et patrocinium populi conſerebat: id vero in malam partem acceperunt Baioari, ac in eo omne ſtudium poſuerunt, ut Nikon ex ſua ſede et ſtatu dimoveretur, qvod facile conſecuti ſunt iniqvis delationibus, et Tzarem in ſuam ſententiam adduxerunt. Id vero laetum Ratzino accidit, metuenti fortunam, et qvaerenti acceſſionem virium ſocietate eorum, qvi iniuriam iſtam Patriarchae illatam averſabantur, et hac ſpe ultionis oblatae, non cenſebant ignoſcendum eſſe Baioaris, qvi privata odia in reipublicae exitium verterent, atqve audendo tam potentes eſſent, ut neqve ius, nec innocentiam Patriarchae reſpicerent. Eo ſpectat, qvod reperi in commentariis manu ſcriptis Viri cuiusdam non indocti, nec indiligentis.* Sciebat, *inqvit,* Ratzinus vindictam iniuriae in patriarcham admiſſae, et fictam eius reſtitutionem populo gratiſſimam fore, qvod praeter meritum et praegravante Baioarorum invidia de gradu ſuae dignitatis deiectus eſſet. Qvamobrem in VVolga amne navem habuit, qva picta Patriarchae qvaſi praeſentis imagine, credi volebat Patriarcham vehi, qvi tamen monaſterio incluſus procul erat, nec iſte rumor Patriarchae niſi ad arctiorem cuſtodiam proficiebat. *Nempe, ut ex eventu fides eſt, ſimplicem et omnis prudentiae rudem Patriarcham optabant, et dimoto Nikone obtinebant, ſurrogato in eius locum Ioſepho, viro non eqvidem malo, ſed ſimplici et parum intelligente. Habebant tamen Baioari, qvod in Nikone reprehenderent, partim qvod civili adminiſtrationi ſe nimis immiſcuiſſet, partim qvod qvaedam perperam in religionem Graecam invehere conatus fuiſſet: nam de ambitione, qvam arguebant, et id genus aliis, nunc pluribus monere non vacat: tantum addo, annum, qvo talis invidia Patriarcham depreſſit, fuiſſe, cIↄ. Iↄc. LXVI.*

13. Ad haec ſpem fiduciamqve Ratzino addidit, qvod fato, an forte, nova Tzar invidia oneraretur. Fuit ei filius cognomento Alexeius Alexcides, ſeptendecim annorum adoleſcens, idemqve ſingulari comitate, qvae virtus qvanto gratior eſt in vulgus, tanto maiorem ei amorem conciliabat. Qvem cum verum ac legitimum ſucceſſorem deſtinaſſet pater, et publice anno cIↄ Iↄc LXVII. conſpiciendum exhibuiſſet, feſtae o-

mnium gratulationes plauſusqve audiebantur: verum breve hoc gaudium fuit, et ſicut patri iuſtum dolorem attulit, ita Ratzino atqve coniuratis opportune animos fecit, ut qvi pro vero affirmarent, nondum deceſſiſſe Tzaris filium, ſed effugiſſe inſidias in caput eius comparatas, et ſalvum apud ſe atqve incolumem eſſe. Inde rumor ſpargebatur, Baioaros, erga qvos implacabile odium erat, omnem poteſtatem ad ſe trahere conatos, necem Tzarevvitzii (ita Imperatoris filium appellant) animo agitaſſe, atqve more ſuo, et qvia per fraudem ius eſſe putent, rempublicam conturbaſſe: qvod pati non poſſint, niſi ſocordia torpeſcant, et Imperii plane obliviſcantur. Itaqve Ratzinus de ſalute omnium agi, praefatus, tutelam atqve patrocinium praeſtiturum ſe recepit, et Catilinam imitatus, vindictae avidos recuſanteſqve obedire Baioaris, cohortatur, venirent ad ſe, vindicaturi tantum nefas, ut qvi ſcirent, hanc eſſe viam ad emendandum corruptiſſimi imperii ſtatum, ac reſtituendum verum eius heredem.

l *Ex ſermonibus hominum minime levium cognovi, Ratzinum clam, et ne agnoſceretur, mutato habitu intraſſe Moſcuam, et hinc inde miſiſſe nuncios, qvi explorarent Ruſſorum animos, et praetextu recuperandae libertatis, atqve profligandi Baioarorum dominatus, ad moliendum res novas ſolicitarent. Libet hic ſuis qvaeqve temporibus reddere, et qvomodo haec omnia inter ſe cohaerent, ipſo opere coniungere. A. cIↄ Iↄc LXVI. Baioari iniqvo in Nikonem animo fuerunt, et ut dignitatem honoremqve amitteret, effecerunt. Inde anno cIↄ Iↄc LXVII. Stephanus praeparatos rebellioni animos commovit, et tyrannidis viam ingreſſurus, odium tyrannidis flagitioſiſſimo conatui ſuo obtendit, ratus, occaſione, dum affulgeret, utendum eſſe. A. cIↄ Iↄc LXX. XVII. Ianuar. Tzaris filius, qvem A. cIↄ Iↄc LXVII. pater ſucceſſorem declaraverat, vivis exemptus eſt, qvod Ratzinus Baioaris crimini dedit, et ut omnia ipſorum facta in invidiam vocaret, mortis huius cauſam neqviſſime iis imputavit, ſpecioſe locutus, ne peſſime facere videretur, cum ulciſcendi Alexeidis animum prae ſe ferret, atqve*

ad

ad ſe invitaret alliceretqve peſſimum qvemqve, et de induſtria aggregaret ſibi ſimiles, qvo eos de republica tolleret, qvibus ſalvis, non poſſet conſeqvi dominatum.

14. Nec conatu hoc deſtitit Ratzinus, ſed dominatum, qvem ab iniuria inceperat, maleficio munire ſtuduit, atqve eo conſilio magnis itineribus ad Volgam fluvium, veteribus Rha dictum, cum coniuratis ſuis contendit. Primum Tyranni facinus A. cIↄIↄc LXVII. fuit direptio navium, qvae variis mercibus onuſtae ſecundo amne devehebantur: qva praeda audacior factus, urbem Iayk oppugnavit, atqve auxilio deſtitutam facile ad deditionem compulit: inde rebus ad longiorem profectionem comparatis, exercitum transduxit usqve ad mare Caſpium, et per vim omnia tentavit, mox regreſſus, ad Volgam rediit, et qvo fortunas Ruſſorum belli more conſumeret, oppida et vicos, praeſertim qvibus ex piſcatu utilitas eſt, exusſit. Mox veluti furore impulſus, ad extremos Ruſſici imperii fines proceſſit, oppidum Terki Perſiae finitimum occupaturus, ut intelligi eo exemplo poſſet, Ratzinum pertinaci animo Tzaris gratiam repudiaſſe, neqve uni provinciae, ſed omnibus Ruſſiae ditionibus bellum intuliſſe. Haud dubie enim conſtitutum habebat, nil usqvam relinqvere, qvod ſibi, praeſertim a tergo, nocere, et qvoqvomodo eſſe impedimento posſet: id cogitanti, et dominatum ad extremas Ruſſiae oras proferre cupienti, praeter ſpem accidit, qvod oppidum Terki curſum victoriarum ipſius moraretur, ac ſe contra vim atqve iniuriam animoſe et fortiter defenderet. Igitur ira incenſus ex eo loco deduxit exercitum, prius autem, qvam id faceret, circumiecta oppida et vicos vaſtavit, pleroſqve etiam Perſas, qvi ultimas Ruſſorum regiones accolunt, per fidem aſportandarum mercium et convehendae annonae circumventos, nulla iniuria accepta, oppreſſit. Ea caede patrata, ad agrum Me-

diae proximum pervenit, et nemine prohibente, vaſtandi ſaeviendiqve poteſtatem militibus fecit, usqve dum Ruſſi et Perſae contractis, undecunqve poterant, auxiliis, in eius conſpectum venirent, praelium commiſſuri, ſi fortunae ſe permittere, ac vim ſuſtinere voluiſſet. Sed qvae barbari erat calliditas, pro tempore et pro re conſilium capiebat, atqve ſe opportune recipiebat, occupatis maris Caſpii inſulis, qvo copias in tuto collocaret, ac praecaveret, ne qvid accideret triſte ſibi atqve calamitoſum. Hinc vehementer laboravit de reficienda annona, ſed qvia rei frumentariae inopiam timebat, ipſe ſibi atqve viribus ſuis diffiſus, admiſſorum veniam a Tzare petiit, et poſtqvam fidem obſeqvii iureiurando aſtrinxerat, impunitatem aſſecutus, poſtea illecebram atqve incitamentum maioris audaciae habuit, et pluribus vitiis ac ſceleribus ſe contaminavit, qvod fictae atqve ſimulatae emendationis indicium Tzari, qvi opinione celerius publici criminis gratiam fecerat, iuſtas poenitendi poſt cauſas dedit. Nam cum ea, qvae volebat, impetraſſet Ratzinus, Aſtrachanum ſe contulit: ibi, ut militaris officii peritus erat, cenſu habito, militibus longo itinere langventibus tempus ad curanda corpora conceſſit, et qvia perſpexerat, crudelitate ab ſe alienatos eſſe plurimorum animos, liberalitate, qvam barbari qvoqve adamant, mutare ſtuduit, et trahere in ſuas partes. Qvocirca numos in vulgus ſparſit, ratus, ex uſu ſuo id fore, qvatenus Tzari invidiam faceret, et his rebus inteſtina diſſidia fovendo, milites praeſidiarios Tzaris contra Praefectos ſuos concitaret*.

* *Cum ſupra Stephanum Ratzinum Ruſſiae Catilinam diximus, tum in Germania prope ſimile aliqvid reperimus, ut documento eſt Gvilielmus Grumbachius, qvi ſuperiori ſeculo tantos ſibi ſpiritus, atqve tantam arrogantiam ſumpſit, ut non modo Saxoniae, ſed etiam toti Germaniae periculum crearet, iamqve palam imperatoriae maieſtati reverentiam exueret, exitium patriae velut Catilina, machinatus, niſi iuſſu Caeſaris ducisq; Auguſti, et conſenſu Ioannis Gvilielmi, piorum atqve conſtantium Principum, captus, meritas poenas dediſſet. Eo vid. hiſtorica deſcriptio ſuſceptae a Caeſarea maieſta-*

ieſtate executio[illegible] neceſſaria ac vera reſponſio anno 1567. et 1568. editae, qvarum illa q[illegible] extat apud Simonem Schardium Tom. 4. p. 34. ſeqq.

16. Cum horum et talium malorum cauſa fuiſſet, reverſus ad Tanaim, ita exarſit, ut ſibi non temperaret, qvin ſaeviret in honeſtos innocentesqve homines, ac templa, et qvaecunqve Deo data dicataqve fuerant, diriperet ac violaret, praeterea ſacerdotes e poſſeſſionibus ſuis eiiceret, et nil tam tetrum eſſet ac terribile, qvod non putaret licere ſuae crudelitati, cui nec integerrimus qvisqve ſubductus eſt, nec melior cauſa ſacerdotum fuit, reliqvi aut poenis, aut morte mulctati ſunt, ſi tyranni imperata facere recuſaſſent.

17. Tandem refecto exercitu, hanc Tzaris ſui clementiae ac manſvetudini gratiam retulit, ut magno impetu eum oppugnaret, et collecta manu loca ad Volgam ſita invaderet: cum vero copiae ad reſiſtendum comparatae appropinqvaſſent, ſumma celeritate urbem Zarizam adortus, dolo occupavit, et disiectis, qvae contra eum miſſae erant, cohortibus, tribunum et plerosqve captivos immani ſupplicio affecit. Ita nemine contra conſiſtere auſo, exercitum ad alias urbes admovit, et expugnata Tzornoiara, praefectum atqve multos milites ad cuſtodiendum oppidum relictos crudeliſſime interfecit, rebusqve ex ſententia firmatis, non vanam potiundi Aſtrachani ſpem animo concepit. Ea urbs qvondam apud Tataros caput rerum, ac ſedes atqve domicilium Scythicae potentiae fuit, cuius praefectus cum milites pecunia corruptos in officio continere non poſſet, hunc annum deditione urbis foedum fecit, et qvanqvam ſtrenue pugnando honeſte occumbere potuiſſet, tamen conſpiratione praeſidiariorum militum territus, venit in poteſtatem Ratzini, qvi ſacris operantem comprehendit, ac de eo, non tanqvam de hoſte, ſed tanqvam de infami homine ſtatuit, ut ex turris faſtigio praecipitaretur. * Nec id ſaevitiae explendae ſatis erat, ſed duos qvoqve eius filios, veluti ſceleſtos homines, mulctavit, et nulla neqve aetatis, neqve dignitatis ratione habita, mandavit, ut in omnium

conſpectu uterqve a terra abrepti, ex pedibus ſuſpenderentur: ne tamen eo poenae genere perirent, alterum exqviſitisſimo ſupplicio excruciatum necavit, alterum fuſtibus immaniſſime verberavit, ut qvaſi exanimatus iaceret, et vix vivus Metropolitae traderetur.

* *Nomen Knes Ivan Simonovvitz Proſorovvski.*

18. Sed ita fortuna perfidi hominis ingenium corrupit, ut ſe durum atqve inexorabilem praeberet, et egeſtis ex Aſtrachanenſi urbe theſauris, ac direptis mercatorum civiumqve fortunis, maiori animo bellum capeſſeret. Nam et tunc commeatus ipſi abunde ſuppetebat, et magna multitudo militum, qvos nec timidos, neqve ignavos collegerat, fiduciam faciebat: diſciplina autem adeo in caſtris eius obſoleverat, ut milites neqve caedibus, nec ſtupris abſtinerent, et omnia libidine atqve audacia polluentes, foedis initiis multo foediſſimum exitum ſignificarent.

19. Nec cunctatus eſt Ratzinus, ut qvi rebus ſuis feſtinatione conſultum cuperet, et omni ope atqve conſilio niteretur, ut potentiam ſuam qvam latisſime propagaret. Itaqve maturavit expeditionem, et Zarizam reverſus, primum duo navigia comparavit, et multa de ſe atqve innocentia Tzarici heredis, et bona cauſa Patriarchae locutus, hunc, ſicuti antea commemoravi, dolum adhibuit, ut perſvaderet, eos ab ſe in fidem acceptos, ac navibus, qvas omnes viderent, impoſitos, atqve contra Baioarorum iniurias defenſos vehi. * Qvibus rebus ſocios adiutoresqve ſuos confirmavit, qvo in eadem erga ſe voluntate permanerent: ceteros ad tale qvid coniunctis animis audendum incitavit, obteſtatus, ne ſigna relinqverent, qvi ſigna ſua ſecuti eſſent.

* *Cum ſcenam hanc adornaret ductor perduellium Ratzinus, alteri navi rubrum apluſtre habenti Tzarus, qvem comminiſcebatur, filium, alteri,*

qvam

qvam nigrum ſericum diſtingvebat, Patriarcham, qvi fingebatur, impoſuit: ille rubro holoſerico ſplendens originem duxit ex familia Petigorski Cyrcaſſorum Principum, qvem iniuſto bello oppreſſum captumqve, et omni poteſtate atqve dignitate exutum, impio ſimulacro adhibuit: de Nikone non eſt, ut qvid addamus.

20. Hoc vero demum futuri motus maxime terribilis claſſicum erat, rebus qvippe iam in eum locum deductis, ut tumultus, cuius componendi ratio non apparebat, vel Tzaris, vel Ratzini exitio terminaretur. Qva conditione cum eſſet Ratzinus, ita nil honeſtum ſperabat, ut qvoqve nil turpe deſperaret, neqve iure, ſed impetu fretus, cauſam, qvam minime honeſtam tuebatur, artibus nihilo melioribus perficiendam ſibi eſſe duceret. Itaqve Tzeremiſſorum Morduinorumqve Tartarorum regiones longe atqve late pervagatus, magnam turbam ſibi adiunxit, ac terras genteſqve nomini ſuo obnoxias reddidit. Sub hoc tempus afflicta Tzaricarum copiarum fortuna fuit, alii enim caeſi, alii dilapſi ſunt: nonnulli in caſtra perduellium tranſierunt. Perditis prope rebus in tempore affuit Dux Baraetinsky, qvi diſſipatis coniuratorum cohortibus, ita repreſſit Ratzinum, ut ex acie ſaucius efferretur, nec multo poſt ob irritam urbis Symbirsky oppugnationem valde perturbaretur, cuius defenſionem ſuſceperat Ioannes Bogdanovvitz, vir ſtrenuus, et nulla conditione adduci ſe paſſus ad dedendam urbem. Qvod diſcrimen cum adiiſſet Ratzinus, paulo recedens, ſpatium ſuis colligendi dedit, et qvia de ſumma rerum agebatur, eo laboravit, ut, qvod inſtructa acie conſeqvi non poterat, per offenſiones civium atqve diſſidia inteſtina effectum daret, et poſtqvam ubiqve ſolitudinem fecerat, ad Imperium Tzaricum, cui inhiabat, callide aditum communiret.

21. Dum haec cum multa ſolicitudine tyrannus cogitabat, hinc inde dimiſit conductos exploratores, qvi, qvae agerentur

tur

tur Moſcuae, renunciarent, praeterea delegit perditiſſimos homines, qvi ignoti terras Ruſticas * obirent, tectis ignem, ubi poſſent, iniecturi, cum ut inopia omnium rerum Tzarem in extremum periculum adduceret, tum ut hoc novae ſeditionis alimentum eſſet. Nusqvam tunc magis, qvam Moſcuae, trepidatum eſt, praecipue aula gravis metus cauſas habuit, ut qvae tot damna data, et excitatos paſſim motus ſecreta aeſtimatione penſaret. Vix profecto credet poſteritas, unum hominem tam exiguo tempore tot provincias occupaſſe, totqve regiones vaſtaſſe, ut ducentorum atqve ſexaginta milliarium Germanicorum ſpatio omnia conturbarentur.

** Earum regionum populator Ratzinus caedibus, incendiis, rapinis, crudelitate, ſuppliciis omnia foedavit. In commentariis rerum Rusſicarum reperi oppida Saratoſſiam, Samaroſſiam, Alatriam, Arſamas, pluresqve alias, vicos item ad Volgam ſitos, qvorum nomina referre non attinet.*

22. Cum iſte rerum ſtatus eſſet, vocabantur in diſcrimen fortunae, vita, coniuges, liberi omnium, exiſtimatio inprimis Procerum atqve Tzaris honor: nam hoc ultimi diſcriminis tempus adventabat, ac documenta inſtabilis fortunae Tzari, et ſumma miſcentis Ratzino praebebat. Vulgi ſtudia Moſcuae qvoqve diverſa erant, pars diſcurrere et tumultu laetari, pars incuſſo metu, proſpicere impendens periculum et ſimul averſari coeperant: nonnulli oppreſſos ſe putabant, priusqvam Ratzini tyrannide opprimerentur, magno ſane calamitatis ſenſu, qvi eo maior erat, qvod reſciviſſent, ſeditionis ſocios cum facibus in tecta urbis immiſſos, iam tum impotenti ira ac ulciſcendi libidine aliqvot incendia excitaſſe. Ipſe pro comperto habeo, qvam parum omnes ab exitio abfuerint, ii maxime, qvi Tzaris conſilia regebant, qvippe in qvos omnium factorum invidiam contulit Ratzinus, et plerosqve dedi ſibi poſtulavit, perituros una clade omnes, niſi eas virtus Dolgoruckae, qvem ante alios ad caedem depoſcebat, expediviſſet.

23. Qvam-

23. Qvamobrem haec ratio diſciplinae et legum firmandarum inventa eſt, qvae ſeveritate poenarum continetur, et ad huius gentis, qvae lenitate atqve indulgentia ſere peior fit, emendationem inprimis pertinebat. Mox accitae ſunt copiae, et praeſidium maiori numero impoſitum, ne civitas Razino praeda fieret, neu annunciato eius adventu, indefenſa relinqveretur, ac metu perculſa, venienti portas aperiret, et viam aditumqve muniret.

24. Qvae conſilia bene ac feliciter Imperatori atqve purpuratis evenerunt, ſive territo conſcientia ſceleris Ratzino, ſive ut ſecuros opportune atqve utilitatis ſuae cauſa falleret: nam haud multo poſt certis conditionibus cum Tzare agere inſtituit, ſed ſero nimis, et poſtqvam omnem gratiam conſumpſerat, ut vel poſtulata eius, qvi ſummam rerum ad ſe transferre coepiſſet, audire ingratum, expendere intutum, admittere exitioſum videretur.

25. Itaqve copiis cum ſummo imperio praepoſitus eſt Dolgoruka,* ut res turbatas componeret, et praelio cum Ratzino decertaret: ſi vinceret, laudem habiturum, ſin vinceretur, ſangvine ſuo his turbis, qvarum invidia in ipſum conferebatur, parentaturum eſſe. Nec ceſſabat Dolgorucka, Ruſſorum dux, et fortitudine prudentiaqve ſua fretus, omnia, qvae neceſſaria ſibi forent, tempeſtive circunſpiciebat, atqve totis viribus ſeditioſis obviam profectus, in itinere qvindecim millia, qvibus Ratzinus imparem ductorem reliqverat, feliciter profligabat. Cum enim Ratzini rationes poſtularent, ut vires atqve opem coniungeret, et praecaveret, ne diſſidiorum cauſae eſſent, graviter errabat, qvod, dum periculum moram non ferret, praeſentia ſua ſocios deſtituiſſet, atqve amiſſa rei melius gerendae occaſione, voti ſui non factus eſſet compos, tum qvod eius legiones inter ſe diſcordantes ſine diſciplina vagarentur, tum qvod Coſacorum excita ſedibus ſuis turba, cum ducem deſideraret, haud arduo labore diſſipari poſſet.

* *Pleno nomine atqve titulo Knes Iurg Alexewitz Delgerucka, qvi poſtqvam auſpicatisſimis initiis, vim coniuratorum ſuſtinuit, caſtris apud oppidum Arſamas poſitus, eo totus incubuit, ut primo qvoqve tempore factio Ratzini opprimeretur: nec eo ſecius communem Rusſiae cauſam adiuvit, qvi militaris Dolgoruckae imperii ſocius erat, Rusſi Occlonizam vocant, qvi diverſis congresſibus, fortitudinem ſuam demonſtravit, et coniuratos fudit, et providit, ne exercitus resqve publica caperent detrimentum. Ita ex commentariis actorum Rusſicorum didici.*

26. Ceterum ſumma belli Rusſici duobus praeliis permisſa eſt: alterum cum ſumma laude Germanorum initum eſt apud oppidum Morasky, in qvo Rusſi eqvidem terga vertere neceſſe habuiſſent, atqve iam tum paulatim ex pugnae loco recedebant, niſi ipſis Germani eqvites ſubſidio veniſſent, et in confertisſimam rebellium partem irruptione facta, ordinibusqve eorum diſturbatis, in fugam avertiſſent: occiſorum numerus ingens fuit, et captivi qvoqve omnes trucidati; alterum prope oppidum Lysko commiſſum eſt, in qvo omne robur rebellium cecidit, et non tam exercitus, qvam incondita turba pugnavit, hoc uno formidabilis, qvod ſaluti ſuae deſperaſſet. Praeterqvam enim qvod horribilis edita eſt ſtrages, ii qvoqve, qvi vivi in poteſtatem victoris pervenerant, ad atrocisſima ſupplicia reſervati, perduellionis poenas dederunt: alii in crucem acti, alii telis confixi, multi immiſſo in femora harpagone, foedisſime perierunt: demum in nullos gravius conſultum eſt, qvam in Coſacos Morduinos: niſi qvod et mulier qvaedam igni cremata eſt, qvod ſacrum ordinem, in qvem aſcripta fuerat, habitu atqve inſtituto militari mutaviſſet. Reliqvos, qvos fuga abſtulit, in ſuo qvemqve loco deprehenſum, crudelisſima morte mactavit, aut ſi in ſolitudines diſceſſiſſent, fame necavit.

27. Cum talem exitum rebelles ſortiti eſſent, caput ipſorum Ratzinus in anguſtias et loca deſerta compulſus eſt, qvem ductor manipulorum Cornelius Iacoloff blandis verbis compellatum adduxit, ut, qvia exhauſtam belli molem videret,

Tzari

Tzari ſupplicaturus, ſecum iret, et cauſam ipſe ſuam diceret, atqve de iniuriis, qvas ſibi allatas qverebatur, referret. Obſeqvitur monenti Ratzinus, diffidens qvidem ſibi, atqve rebus ſuis deſperans, ſed qvod initio comiter et proxime libertatem haberetur, effectum eſt induſtria Cornelii, ut valido milite ſtipatus, revera enim cuſtodia erat, Moſcuam Ruthenorum duceretur.

28. Nondum urbem attigerat, cum bis mille apparitores ad eum arctius tenendum emisſi ſunt: ii comprehenſum, et ductis circa collum pedesqve catenis, patibulo e curru prominenti impoſuerunt: poſt eum vinctus conſtrictusqve frater Frolko incedebat, eiusdem criminis reus, et ideo in vinculis habitus, ut pari poena afficeretur. Ambo cum perducti eſſent Moſcuam, Ratzinus qvaeſtioni ſubiectus, ita conſtanter vim tormentorum pertulit, ut licet multis indiciis teſtimoniisq; convictus eſſet, tamen ſua confesſione neqve damnatus videri posſet. Cum vero longum eſſet cognoſcere de crimine ſatis comperto, ex re imperii viſum eſt, feſtinato ſupplicio praecidere occaſionem populo initia cauſasqve rimandi, ne aulae invidia fieret, aut novum Tzari periculum accerſeretur. Qvopropter ad locum ſupplicii cum fratre ductus, audita capitali ſententia, adeo non in melius mutari potuit, ut qvoqve in contumacia perſeveraverit, neqve temere creditum fuerit, eum prorſus ſui oblitum, non de expiandis noxis, neqve inſtanti commutatione, ſed tantum de praeſenti ignominia cogitaſſe.

29. Nam carnifici traditus, nil dedit comparando ad mortem animo, ſed geſtibus iram odiumqve praeferentibus teſtatus eſt, malle ſe everti Rusſiam exitio alieno, qvam liberari ſuo. Poenam luit palam, et qvo maiori conficeretur cruciatu, primo manus, deinde pedes amputati ſunt, qvos ictus ſic excepit, ut ne gemitu qvidem doloris indicium oſtenderet, atqve tam praefractae mentis eſſet, ut neqve de contumacia remittere vellet, neqve ti-

meret

meret triſtiorem caſum, vultu qvoqve ac voce ſui ſimilis, cum mutilatis brachiis cruribusqve, fratrem ſuperſtitem atqve in catenis ductum intuens, cum fremitu exclamaret: *contine lingvam canis.** Nam qvae invicta tyranni rabies erat, cum armis non poſſet, ſilentio ulciſci mortem ſuam ſtatuit, neqve tormentis cogi potuit, ut impias artes atqve ſecreta patrati ſceleris aperiret. Qvae cauſa erat, qvod in ipſo mortis articulo cum fratre expoſtularet, et convicium ipſi faceret, ratus, triſte ſibi et fratri erubeſcendum eſſe, qvod, qvum ſocius adiutorqve ſibi hactenus in omnibus rebus fuiſſet, nunc mortem contemnere non poſſet: qvia enim petebat alloqvendi Tzaris ſibi dari facultatem, hoc ſic a barbaro acceptum eſt, qvaſi res atqve acta ſua, qvae reticeri volebat, ſupplicii metu enunciare ſtatuiſſet. Sed cuiusmodi ea fuerint, qvae a loco ſupplicii abductus, Tzari dixit, non liqvido conſtat, et mihi ſufficit, Ratzino moleſtum atqve grave fuiſſe, qvod, qvae fuerit mens ſua ac voluntas, fratrem indicaturum eſſe, non ſine cauſa, nec falſo ſuſpicaretur. Eius poſt confeſſione ita Tzaris flexus eſt animus, ut illo tempore vitae parceret, contentus, eum cuſtodia aſſervaſſe, qvi eſſet meritus, ut, qvemadmodum emendatione animi, ita poena apud poſteros a Ratzino fratre diſtingveretur.

* *Ruſſica lingva : Muliſchiſabacka. Eadem et teſſerae militares conceptae ſunt Notſchay, id eſt, inopinato, in pugna apud Moraskÿ, et Hoyda podiom (agite aggrediamur) in certamine prope Lysko.*

30. Poſt haec Ratzinus adverſus tormenta et ipſam neceſſitatem contumax, ad ſupplicium abſtractus eſt, caput, manus pedesqve acuminatis palis infixa ſunt, reliqvus truncus canibus obiectus, ac foede laceratus conſumptusqve, cum ignominiae eius, tum exempli aliorum cauſa, foedum ſpectaculum praebuit,* nec meliorem exitum habere debuit, qvi deſertor ſui Imperatoris, et Patriae hoſtis proditorqve fuit.

* *A. CIↃ IↃC LXXI. VI. Iun.*